*AUTHOR:*

PARIS, CHRONICLE OF.

*TITLE:*

CHRONICON PARIUM RECENSUIT ET ...

*PLACE:*

TUBINGAE

*DATE:*

1884

Master Negative #

91-80278-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG91-B79551
FIN ID MNUGRUI123647056-B - Record 1 of 1 - Record added today      Acquisitions     NYCG-TLK
+
 ID:NYCG91-B79551     RTYP:a    ST:p    FRN:      MS:       EL:1
 CC:9665   BLT:am      DCF:     CSC:u    MOD:      SNR:      ATC:       AD:09-10-91
 CP:nyu      L:lat     INT:     GPC:     BIO:      FIC:0     CON:       UD:09-10-91
 PC:r        PD:1991/1884        REP:    CPI:0     FSI:0     ILC:h      MEI:0   II:0
 MMD:        OR:     POL:    DM:     RR:           COL:      EML:       GEN:    BSE:
040     NNC‡cNNC.
130 00  Paris. Chronicle of.
245 10  Chronicon parium‡h[microform] /‡crecensuit et praefatus est Joannes Fl
        ach : Accedunt appendix chronicorum reliquias continens et marmoris spec
        imen parttim ex Seldeni apographo partim ex Maassii ectypo descriptum.
260 0   Tubingae :‡bF. Fuesii,‡c1884.
300     44 p. :‡b2 facsim. :‡c24 cm.
700 10  Flach, Johannes Louis Moritz,‡d1845-1895.
LDG     RLIN
QD      09-10-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm  REDUCTION RATIO: 11x2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/20  INITIALS BG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

W



M. L. Earle

Frederic D. Allen

# CHRONICON PARIUM

RECENSUIT ET PRAEFATUS EST

JOANNES FLACH

ACCEDUNT APPENDIX CHRONICORUM RELIQUIAS CONTINENS
ET MARMORIS SPECIMEN PARTIM EX SELDENI APOGRAPHO
PARTIM EX MAASSII ECTYPO DESCRIPTUM

TUBINGAE
IN AEDIBUS FRANCISCI FUESII
MDCCCLXXXIV

TUBINGAE: TYPIS L. FR. FUESII.



# I.

Chronicon Parium anno 1627 Smyrnae emptum et in Angliam translatum est, ubi in hortis Howardi comitis Arundeliae et Surriae asservatum est, jam tum extrema parte mutilatum. Primus ibi descripsit Seldenus, qui Chronicon Lond. a. 1628 edidit. Postquam translati marmoris etiam dimidia fere pars usque ad vers. 45 inter civiles turbas deleta est, a. 1667 lapis universitati litterariae Oxoniensi donatus est, quo facto denuo eum ediderunt Humphridus Prideaux Oxonii 1676 et Michael Maittaire Lond. a. 1732. Antea autem Lydiatus a. 1629 et Palmerius anno 1668 observationes in marmor Parium scripserant (Maittaire p. 200 seq., p. 222 seq.), quos secuti sunt Jo. Marshamus, qui in Canone chronico (Lond. 1672) notas ad marmor pertinentes edidit (Maittaire p. 295 seq.), et Bentleius, qui Millii aliquot locorum collatione adjutus in dissertat. Phalar. nonnulla emendare conatus est (Maitt. p. 533 seq.). Partem marmoris superstitem inde a vers. 46 denuo perlustravit Chandlerus et cum priore, quam solus Seldenus inspexerat, edidit (Marmora Oxoniensia, Oxon. 1763), addito scripturae marmoris specimine. In Germania et translationem Germanicam et commentarium in Chronicon Parium primus publicavit Jac. Baumgartenius in additamentis ad Historiam universalem I, 161 seq. (a. 1747), futtilia plerumque et vitiosa convasans, deinde edidit Car. Franc. Christian Wagner, die Parische Chronik, griechisch, übersetzt und erläutert nebst Bemerkungen nach dem Englischen, Göttingen 1790. Omnium autem clarissimus editor extitit Boeckhius C. Insc. G. II, 293 seq. (1843),

qui praeter Seldeni et Chandleri editiones inprimis usus est notis Reinholdi Forsteri, qui inter a. 1751 et 1756 lapidem cum prioribus textibus contulerat, cujusque schedae Berolini asservantur. Boeckhii recensionem descripsit Carol. Mueller in fragm. Histor. I, 533 seq. (1853), qui quotiescunque a Boeckhio in rebus enarrandis vel in conjectaneis ad explendas lacunas discessit, fere semper in errores delapsus est. Nuperrime ad usum Ernesti Doppii, qui quaestiones de marmore Pario docta conscripsit dissertatione (Rostock 1883), intercedente Kaibelio lapidem in subterraneis Musei Bodlejani asservatum exprimendum curavit Ernestus Maass, qui et Doppio et mihi ectypi usum insigni liberalitate concessit. Quo inspecto graviter dolemus, tantam scripturae vetustae partem prorsus jam interiisse vel evanuisse. Ad novam equidem Chronici editionem aggressus sum, cum inter Lyricos Graecos versatus et separatam editionem omnibus hodie gratam futuram esse et multa a Boeckhio liberius expleta esse animadverterem, nonnulla etiam lacunarum spatiis, quae Seldenus notaverat, prorsus neglectis [1]). In tabulis quas apposui synchronisticis id potissimum egi, ut et Eusebii canones luculente exprimerem [2]), additis quandoquidem servati sunt Armeniae versionis numeris, et annos ante Christum natum ex computis (quos Boeckhius introduxit) A et B appingerem, olympiadum numeris ad solum archontum ordinem relatis. Item Abrahami annos Eusebianos addidi, quos, si ad annos ante Chr. nat. redigere libet, ab a. 2016 detrahere tutissimum est [3]). Atque in Prolegomenis potissimum adjutus sum a collega doctissimo A. de Gutschmid, ut fere semper fit, eximia erga me benevolentia quaecunque de marmore ipse

1) Quae a Boeckhii lectione discrepant, in margine textus mei cruce signata sunt.

2) Post Boeckhii editionem primus A. Schoene in Symbol. Bonn. 756 Marmoris Parii notas ad Eusebii canones corrigendas esse flagitavit, post eum etiam acrius Dopp l. c. 13 seq.

3) De hac ratione computandi cf. Gutschmid, de temporum notis, quibus Eusebius utitur in chronicis canonibus 11 et 26. (Kiel 1868.)



jam pridem cogitaverat, amice mihi suppeditante. Eidem etiam non paucae conjecturae debentur.

## II.

Chronicon Parium in Paro insula aut ut vulgo credebatur a. 264 Athenis archonte Diogneto aut exeunte anno 264 (archonte Arrhenide) et ineunte anno 263 (arch. Diogneto) ab homine aliquo compositum est, quem domi ejusmodi tabulam ante oculos habere voluisse recte vidit Boeckhius. Quare non mirum est, quod etiam Ionismi aliquot vestigia in Chronicon maximam partem Attica dialecto conscriptum irrepserunt, velut εἵως, (vers. 2) ἱρὸν (vers. 7) gen. Τλησία (vers. 49) et fortasse Ἱππία (v. 61) al. Illud autem sane intellectu difficile est, cur auctor patrias res prorsus neglexerit, quamquam in parte nunc deperdita, quae annos 355—264 continebat, nonnulla olim de Paro insula exposuisse putandus est. Aperte enim noster Atheniensium res, quibuscum et Salaminis et Aeginae historiam conjunxit, ita quidem reliquis anteposuit, ut de poetis, musicis, ludis, rebus mysticis atque sacris aeque ac de tyrannis ageret [1]), laudans „certaminum aliquot musicorum et gymnicorum institutionem, Amphictyonum et Hellenici nominis ortum, originem judiciorum de caede, inventionem frugum, cursuum, pentecontori, mysteriorum, lustrationis, ferri, monetae, artis memoriae“ al., interdum et civilia et bellica admiscens. Quae omnia si a ceteris segregas, prorsus alia ratione de Peloponneso, Macedonia, nonnunquam etiam de Sicilia verba fecit, vix alia exponens, quam quo tempore singuli tyranni vel reges sibi successerint. Omnino autem auctor Chronici tam neglegens et socors est, ut gravissimas res, Argonautarum expeditionem, Heraclidas, Lycurgum, bella Messeniaca, Solonis legislationem, bellum Peloponnesiacum, triginta virorum tyrannidem, multa alia silentio prorsus omiserit.

1) Cf. quae docte exposuit Dopp, l. c. 6 seq. Memorabile ante omnia est, quod Athenienses apud Plataeas vixisse auctor narrat (ep. 52) Stesichororum que victorias aperte ad Athenienses rettulit.

Quod cum ita se habeat, de fontibus nostri quaestio sane difficillima oritur, quamquam Atthidis alicujus thesauros eum diripuisse luce clarius est. Neque vero Philochori, Eusebii fontis, a quo persaepe prorsus recedit, nec Marsyae Pellaei, a quo vel in Perdiccae historia describenda discrepat, quem omnino non Atthidem, sed Atacta scripsisse hodie inter omnes constat. Nec minus ab historicis Graecis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, item a Theopompo, Anaximene, Callisthene, haud raro eum desciscere docuit Boeckhius, cum Ephorum in duabus rebus aperte secutus sit, primum quod Hesiodum Homero antiquiorem statuit, deinde quod Dionysii tyranni regnum quadraginta duorum (vel trium) annorum, non duodequadraginta fuisse memoriae prodidit.

Satis autem sagaciter Phaniae Eresii, qui Aristotelis discipulus fuit, librum de Eresi prytanibus, quem laudat Athen. VIII, 333 A, tanquam fontem potissimum Chronici Parii fuisse demonstrare conatus est Boeckhius [1]), enumerans praesertim quae dicta sunt de Trojae captae epocha, de Terpandro ejusque nomis, de Sapphone ejusque fuga, de Gelone et Hierone, de Dionysio majore et Philoxeno, nec non Himerensium historiam afferens, cum et de Siciliae tyrannis Phaniam librum scripsisse narret Athen. VI, 231 E, 232 C, et de Himerensibus verba eum fecisse narret Plut. de orac. def. 32. Porro si res Atticas spectas, de Solone, de Pisistrato, Hipparcho et Hippia, de Harmodio et Aristogitone, Artemisio et Salamine dixerat Phanias, omnino etiam mirabilia attingens, velut lapidem ad Aegos flumen caelo delapsum al. Praeter Phaniae autem librum etiam Sicyoniam anagraphen de musicis, poetis, certaminibus, quam ex Heraclide nonnunquam Plutarchus laudavit in libro de musica, et Glauci Rhegini de vetustis poetis opusculum, ab nostro adhibita esse suspicatus est Boeckhius, cunctanter

1) Praeter alios eandem sententiam amplexi sunt Schaefer, Quellenkunde zur griech. Gesch. II, 93, et Brandis, de temporum Graec. antiqu. rationibus 13.



laudans etiam Aristotelis didascalias, Aristoxeni de musica libros, Demetrii Phalerei, Theophrasti al. opera.

Attamen hanc thesin nimis infirmam esse patet, quia fieri nequit, ut illa, quae hodie in Chronico Pario leguntur, etiam in libro de prytanibus Eresi dicta fuerint. Multa enim ejus modi, velut de Solone dicta, ex ejus περὶ ποιητῶν libro (Athen. VIII, 352 C) assumpta fuisse veri similius est. Praeterea autem Phaniam Eresium in libro suo ad reges et archontes Atticos, non ad prytanes Eresi, tempora exegisse nullo modo probari potest, quapropter Parium quoque, si Phaniae chronographiam descripsit, non Atticos, sed vel Eresi vel Parios magistratus introducturum fuisse manifestum est. Denique cum Phanias Aristotelis discipulus fuerit, nonnulla certe doctrinae Aristotelicae in Chronico Pario comparere necesse esset, quae prorsus desiderari, quamquam nemo nescit, tamen etiam certissimis argumentis firmavit Dopp. Totam igitur de Phania Eresio quaestionem debilissimam esse sequitur, labefactavitque inprimis Dopp l. c. 8 seq., qui quod de Apollodori bibliotheca docuit Robert, etiam de marmoris Parii indole valere statuit, poemata cyclica vetustos ejus fontes esse exponens. Primum enim in mythica Chronici parte, quam ad ep. 31 extendi putat, manifestam inter Parium et Diodorum et Eusebium extare cohaerentiam vidit (cf. l. c. 26), saepiusque easdem res Hellanicum quoque vel Philochorum tradidisse, ita quidem, ut Parii fontem et Philochoro et Aristotele vetustiorem esse docuerit. Quod si vere demonstratum est, Atthidem aliquam antiquiorem, fontem mythicae partis esse efficitur [1]). Nec minus probabiliter de historica Chronici parte disseruit, quam Parius

1) Hellanici Atthidem prorsus excludere debebat Dopp. Hellanicum enim enumerantem inde a Cecrope usque ad Demophontem novem reges Athenienses (omissis, ut videtur, altero et Cecrope et Pandione), ab auctore Pario dissensisse, qui undecim habet, certis argumentis evicit Kirchhoff, Hermae VIII, 184 seq. (cf. 190). Possis igitur cogitare de Clidemo, Phanodemo, Androtione, quos Aristotele antiquiores esse constat: cf. Müller, fr. hist. I, LXXXII seq. Quam rem si quis accuratius inquisiverit, quin fontem marmoris in rebus Atticis, nullo adhibito opere possit explorare, extra dubitationem positum est.

cum priore fonte cum conjungeret ad Atheniensium res ac tempora omnia exegit. Sed et Parii auctoris nomen et Atheniensis, ex quo sua hausit, unquam in lucem proditurum esse negavit Dopp.

Ut de Chronici Parii natura quaestionem conficiam, illud quoque silentio praetermittere non licet, quod de genuitate ejus dubitavit J. Robertson, the Parian chronicle etc. London 1788, ex Apollodori bibliotheca pleraque auctorem hausisse suspicatus. Qui a multis deinde refutatus est, inter quos celeberrimo fruitur nomine Rich. Porsonus (cf. Museum critic. Cantabrig. I, 229 al.). Robertsoni argumentis adversatus est etiam Wagner l. c. 55 seq.; cf. etiam Dopp. l. c. 10. —

De Chronico denique plures dissertationes publicavit Chr. Wagner in ind. Marburg 1832 (2 diss.) et 1833 (2 diss.), ex quibus nonnulla infra enotabo, quae a ceteris vel de industria vel casu omissa sunt [1]).

## III.

Pauca etiam de temporum vel magistratuum ordine praemonenda videntur. De Atticis enim vel regibus vel archontibus talem tabulam amice mecum communicavit A. de Gutschmid, qui rejectis Boeckhii rationibus annos regum hinc inde seligentis, Syncelli potissimum quantum fieri potest numeris se addicens catalogum ita restituit, ut nonnunquam a Boeckhiana tabula, quam secutus est Mueller, recedat.

| ex Gutschmidii ratione | | | ex Boeckhii ratione |
|---|---|---|---|
| 1) Cecrops I | 1318 | | |
| 2) Cranaus | 1268 | | |
| 3) Amphictyon | 1259 | | |
| 4) Erichthonius | 1249 | | |
| 5) Pandion I | 1199 | | |

1) Exempli gratia in initio Baumgartenius restituit οὕ[τως τῶ]ν πάν[τ]ων [χρό]νων ἀνέγραψα τοὺς ἂν [εὗρον]: cf. ind. III, 3; ep. 4 Palmerius: εἰς Ἀθήνας πρό[τερ]ον, καὶ τοῦ Διὸ[ς παυομένου, δι' ἑαυτ]ὸν τὸ ἱε[ὸν Ἀπόλλ]ωνα ὁ[ρμήσατ]ο [καὶ etc. cf. III, 6; ep. 48 Semlerus: νε[ωτεροποιεῖν] Ἱππία[ς ἐπείρασεν τὴν τυραννίδα] ἐν etc. cf. IV, 6 al.



| ex Gutschmidii ratione | | | ex Boeckhii ratione |
|---|---|---|---|
| 6) Erechtheus | 1159 | | |
| 7) Cecrops II | 1109 | | |
| 8) Pandion II | 1069 | | |
| 9) Aegeus | 1044 | | |
| 10) Theseus | 996 | | |
| 11) Menestheus | 966 | — 13 ann. 954 (expeditio Trojana) 22 ann. 945 (Trojae excidium) | 944 (ann. 22) |
| 12) Demophon | 943 | | 942 |
| 13) Oxyntes | 910 | | 907 |
| 14) Aphidas | 900 | | 893 |
| 15) Thymoetes | 899 | | 892 |
| 1) Melanthus | 890 | | 883 |
| 2) Codrus | 853 | | 846 |
| 3) Medon | 832 | — 10 ann. 823 (Ionica migratio) | 825 (13 ann. 813) |
| 4) Acastus | 812 | | 805 |
| 5) Archippus | 777 | | 769 |
| 6) Thersippus | 758 | | 750 |
| 7) Phorbas | 718 | | 727 |
| 8) Megacles | 688 | | 694 |
| 9) Diognetus | 660 | | 666 |
| 10) Pherecles | 632 | | 638 |
| 11) Ariphron | 613 | | 623 |
| 12) Thespieus | 582 | | 593 |
| 13) Agamestor | 542 | | 553 |
| 14) Aeschylus | 515 | — 21 ann. 495 (Syracusae conditae) | 513 |
| 15) Alcmaeon | 492 | | 490 |
| 1) Charops | 490 | | 488 |
| 2) Aesimides | 480 | | 478 |
| 3) Clidicus | 470 | | 468 |
| 4) Hippomenes | 460 | | 458 |
| 5) Leocrates | 450 | | 449 |
| 6) Apsander | 440 | | 439 |
| 7) Eryxias | 430 | | 429 |
| Archontes annui inde a Creonte | 420 | | 419 |

In hac, quam ex eius calculis dedimus tabula, a Cecrope usque ad Trojae excidium 374 numerari vides annos, a Trojae excidio ad finem Thymoetae 54 annos, ita ut Thesidarum tempora 428 annis circumscribantur, a Melantho ad Codrum 58 annos, a Medonte ad finem Alcmaeonis 342 annos, a Charope ad finem Clidici (cf. Pausan. I, 1, 3) 30 annos; quo

fit, ut ex legibus symmetriae veteribus chronographis singulariter adamatae Melanthidarum tempora 430 annos complectantur, biennium tantum amplius quam Thesidarum. Ceteris archontibus decennalibus 40 anni relinquuntur. Itaque usque ad annuorum archontum initium summa est annorum 898.

Quod si indicem Parium cum Eusebii canonibus componis, talem in potissimis rebus discrepantiam advertere possis:

| | Marmor Parium | Eusebius | Excerpt. Barb. |
|---|---|---|---|
| Cecrops | 1581 | 1556 | 1605 |
| Troja capta | 1208 | 1182 | |
| Menesthei an. 23 | 1207 | 1181 | |
| Hesiodus | 937 | } 1015 } | 909 (Homerus sec. Porphyr.) |
| Homerus | 906 | | 809 (Hesiodus sec. Porphyrium) |

Utramque igitur tabulam discrimine viginti sex annorum ab initio distineri jam vidit Boeckhius, qui etiam discrimen illud in regibus ep. 1 usque ep. 24 enumeratis conspicuum esse docuit, consentiente Doppio. Boeckhius autem cum discrimen paullatim minui perspiceret, catalogum ex variis Eusebii codicibus vel interpretationibus ea qua demonstravi ratione effecit, quam jure improbavit etiam Dopp l. c. 62.

Nec magis Parius auctor cum Eratosthenis indice (apud Clem. Al. Strom. I, 145, 5; cf. Mueller, ad calcem Herod. Didotiani (Paris 1854) conspirat, quem deinceps describam:

| | | | ex marmore Pario |
|---|---|---|---|
| a. 1 aerae Trojanae | 1183 | (Homerus 1083) [1] | 1208 |
| Heraclidarum reditus | 1103 | | |
| Ionica migratio | 1044 | | 1077 |
| Lycurgus | 885 | | Homerus 906 |
| Annus ante Olymp. I | 777 | | |
| Xerxis transitus | 480 | | |
| Bellum Peloponn. | 432 | | |
| Athenae devictae | 405 | | |
| Leuctrica pugna | 371 | | |

1) cf. Rohde, Mus. Rhen. XXXVI, 412; Gutschmid in ind. Kiel. l. c. 26; de Eratosthenis Χρονογραφίαις et Apollodori, qui eas in breviario suo fere exscripsit, Χρονικοῖς cf. Diels, Mus. Rhen. XXXI. 4 seq.; Ephorus a. 1169 Trojam captam esse tradidisse videtur.



| | |
|---|---|
| Philippi mors | 336 |
| Alexandri mors | 324 |

Nec cum auctore vitae Homeri, quae sub Herodoti nomine circumfertur (cf. Mueller, ad calcem Herod. Didotiani 122):

| | |
|---|---|
| Troica | 1270 a. Ch. |
| Urbes in Lesbo cond. | 1140 |
| Cyme condita | 1120 |
| Smyrna. Homerus | 1102 |
| Xerxis expeditio | 480 [1] |

Nec cum Thrasylli quod perperam vulgo vocant, Chronico, quod descripsit Clem. Alex. Strom. l. c. (cf. Müller III, 503):

| | Sothidis epocham) [2] | ex marm. Par. |
|---|---|---|
| 1) Mosis exodus | 1666 (345 ann. ante) | |
| 2) Deucalion | 1533 | 1528 |
| 3) Idaei Dactyli | 1460 | |
| 4) Ganymedes | 1395 | |
| 5) Isthmia condita | 1380 | |
| 6) Troja condita | 1346 | |
| 7) Argonautae | 1282 | |
| 8) Theseus | 1250 | 1258 |
| 9) Septem contra Thebas | 1240 | 1250 |
| 10) Olympias Herculis | 1237 | |
| 11) Amazonum in Athenas expeditio | 1228 | 1255 |
| 12) Herculis mors | 1217 | |
| 13) Helenae raptus | 1213 | 1217 |
| 14) Trojae excidium | 1193 [3] | 1208 |
| 15) Aeneae exitus | 1183 | |
| 16) Ascanii regnum | 1175 | |
| 17) Heraclidarum reditus | 1114 | |
| 18) Iphiti Olympias | 776 | |

Quae si tecum consideras, Anonymi numeros ad Parium

1) cf. Rohde, l. c. 413 not.

2) Hanc ad annum 1321 a. Chr. rectissime rettulit Fr. Unger, Chronologie des Manetho 47 seq. Thrasylli Chronicon in appendice edidi.

3) I. e. 10 annis ante quam Eratosthenes Trojae excidium collocaverat: cf. Diels, Mus. Rhen. XXXI, 31.

auctorem proxime accedere vides, cum discrimina quattuor vel octo vel decem annorum plerumque interjecta esse pateat.

Partim cum Anonymi, partim cum Eratosthenis numeris conveniunt ea, quae Vellejus Paterculus I, 2 seq. de Graecorum et Romanorum historia antiquissima tradidit (cf. append.):

| | |
|---|---|
| Trojae excidium | 1183 [1]) |
| Heraclidarum reditus | 1103 |
| Homerus | 921 [2]) |
| Carthago condita | 815 [3]) |
| Caranus Macedoniae rex | 814 |
| Hesiodus | 801 [4]) |
| Iphiti Olympias | 774 (ex manifesto errato Velleji) [5]) |
| Roma condita | 751 (ex eodem Velleji errore ortum) [6]) |

Ex Chronico vero Romano, quod Henzenius primus edidit, (cf. append.), hi tantum numeri servati sunt:

---

1) Nam cum I, 8 dictum sit, CDXXXVII post Trojam captam Romam conditam esse, quod ad ann. 751 Vellejus rettulit, jam Vossius correxit CDXXXII, probante Gutschmidio; Lipsius maluit CCCCXXX.

2) I. e. ex Apollodori sententia centum annos post Ionicam migrationem, ut aequalis Lycurgi juvenis fiat: cf. Clem. Al. Strom. I, 327 A.

3) Ex Timaei sententia 38 ann. ante primam Olympiadem. Vellejus conspirat cum Cic. de rep. II, 23, 92: cf. Gutschmid, Symb. Bonn. 115.

4) Porphyrius apud Suidam (Hesychium) Hesiodum 32 annos ante ol. I vixisse tradidit, i. e. a. 809; cf. etiam Mueller, ad calcem Herodoti Didotiani 198. Ex Apollodori sententia Hesiodus ann. 806 floruit: cf. Rohde, Mus. Rhen. XXXVI, 537.

5) Quod ortum ex confusione epochae Palilium Varronianae et Catonianae; 823—30 i. e. 793 ex ed. principe; XXIII pro III (i. e. 803—30) ibi scriptum esse vidit Kritz, Prol. XLIII; DCCCIV dedit Lipsius, quem sequuntur Ruhnkenius et Janius.

6) Numerum DCCCCLXXXL ante Vinicium exhibet ed. princeps, quem duobus locis corruptum sanavit Laurentius, deletis binis notis centenariis et scripto in fine I pro L, ut efficeretur ann. 781—30 i. e. 751; cf. Kritz, l. c. XLIV. Vellejus hoc loco spatium inter ol. I et Rom. cond. ex Varroniana epocha transtulit ad Catonis epocham Romanam.



| | |
|---|---|
| 1) Pisistrati regnum Aesopique mors | 563 [1]) |
| 2) Cambyses Aegyptum subjicit | 524 |
| 3) Hipparchi mors | 512 |
| 4) Pugna Salaminia | 48[0] |
| 5) Galli Romanos devincunt | 385 |

## IV.

Multa autem difficilior quaestio oritur de ratione numerorum, quam Parium auctorem observasse putabimus. Boeckhius enim, cum archontum tabulam examinaret, quattuor statuit computos A, B, C, D, e quibus A accurate concineret cum eo anno, quo auctorem scripsisse statuerat (264), B uno anno auctior esset, C duobus, D tribus annis ab illo distarent. Qua in re annum archontis Diogneti non e computo B, qui ab initio Chronici plerumque comparet, sed ex computo A, quo recentior tantum marmoris pars continetur, definiendum esse statuit. „Itaque terminus ad quem, Diogneti annus, est potius ol. 129, 1, ut statuebat jam Seldenus, et data A exhibent differentiam annorum certae cujusdam seriei repertam ita ut annus epochae dati A detractus sit ab anno Diogneti.“ [2])

Talem igitur computorum conspectum ex archontum tabula inde a Marathonia pugna descripsit vir doctissimus:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ep. 48 | Phaenippus II | Olymp. 72,3 | ann. | 227 B |
| 49 | Aristides | 72,4 | | 225(6) A (B) |
| 50 | Philocrates | 73,4 | | 222 B |
| 51 | Calliades | 75,1 | | 217 B |
| 52 | Xanthippus | 75,2 | | 216 B |
| 53 | Timosthenes | 75,3 | | 215 B |
| 54 | Adimantus | 75,4 | | |
| 55 | Chares | 77,1 | | 208 A |
| 56 | Apsephion | 77,4 | | 206 B |

---

1) Memorabile est, quod hic chronographus Croesi, Lydiae regis, tempora et ante aetatem Septem Sapientium et ante Pisistrati tyrannidem et Aesopi mortem collocavit.

2) Eodem modo judicaverunt Clinton, fast. III, 71, et Wagner in ind. Marburg. II, 1 seq. al.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| ep. 57 | Theagenides | Olymp. 78,1 | ann. 205 | B |
| 58 | Euthippus | 79,4 | 199 | C |
| 59 | Callias I | 81,1 | 193 | B |
| 60 | Diphilus | 84,3 | | |
| 61 | Astyphilus | 90,1 | | |
| 62 | Euctemon | 93,1 | 147 | D |
| 63 | Antigenes | 93,2 | 145 | C |
| 64 | Callias II | 93,3 | | |
| 65 | Micon | 94,3 | 139 | B |
| 66 | Laches | 95,1 | 137 | B |
| 67 | Aristocrates | 95,2 | 135 | A |
| 68 | | | | |
| 69 | Pytheas | 100,1 | 116 | A |
| 70 | Calleas | 100,4 | | |
| 71 | Astius | 101,4 | 109 | A |
| 72 | Phrasiclides | 102,2 | 107 | A |
| 73 | | | | |
| 74 | Nausigenes | 103,1 | 104 | A |
| 75 | Cephisodorus | 105,3 | | |
| 76 | Agathocles | 105,4 | 93 | A |
| 77 | Callistratus | 106,2 | 91 | A |
| 78 | | | | |

Ab initio autem annuorum Atheniensium magistratuum hanc tabulam confecit:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ep. 32 | Creon | ol. 24,2 | ann. 420 | B |
| 33 | Tlesias | 24,4 | 418 | B |
| 34 | Dropidas | | 381 | |
| 35 | Aristocles | 43,4 | 341 | A |
| 36 | Critias I | | | |
| 37 | Simon | 47,3 | 327 | B |
| 38 | Damasius II | 49,3 | 318 | A |
| 39 | | | | |
| 40 | Comias | | 297 | |
| 41 | Euthydemus | 56,1 | 292 | A |
| 42 | | | | |
| 43 | | | | |
| 44 | | | | |
| 45 | | 67,2 | 248 | B |
| 46 | Isagoras | 68,1 | | |
| 47 | Pythocritus | 71,3 | 231 | B |

Quae si nobiscum consideramus, admodum mirum videtur esse, Boeckhium computos C et D posuisse, quos omnino nihili esse vel primo obtutu manifestum est. De



computis vero A et B judex nuperrime prodiit acerrimus Dopp, l. c. 53 seq., qui bene monuit priore lapidis parte tres potissimum epochas, 35, 38, 41 computo A a Boeckhio definitas esse, cum in ep. 41 Euthydemum non ol. 56, 1 sed. 56, 2 (555) archontem fuisse vel vitio Diog. Laert. I, 68 [1]) probari possit, unde etiam in epocha 35 cum hac ex Boeckhii sententia cohaerente archontem non ad ol. 43, 4 sed 44, 1 transferendum esse efficiatur. Nec minus sagaciter de ep. 38 disputavit, in qua HHHΔ[ΔI]II pro eo quem vulgo legunt numero HHH|‾|ΔIII revocavit, ut conspiraret cum loco Pausan. X, 7, 3, qui anteriorem olympiadem certamini coronario instituto assignavit, certissimis hic quoque usus argumentis. Quo facto ex priore lapidis parte totum computum A expelli necesse est. Restat enim unus locus ep. 55 anni 208 (ol. 77, 1 = 472 a. Ch.), quo quidem nulla memoratur res gesta in fontibusque enarrata, sed computatio extat ejus generis, quantum quis temporis regnaverit vel vixerit, quam ipse auctor Parius invenisse ideoque errorem admisisse putandus est. Ad alteram igitur lapidis partem pergens, quam computo A circum scribi voluit Boeckhius, apparere demonstravit Dopp l. c. 61, Parium auctorem in priore i. e. recentiore parte operis quam prius composuit, annum, quo ipse scriberet, non addidisse, postea autem cum anni tempus aut majore ex parte aut totum peractum esset, addidisse, ita ut si ea respicimus, quae ex Chronico Pario deleta sunt, dimidiam fere ejus partem Boeckhiano computo A, dimidiam ejusdem computo B con tineri concluserit. Quae omnia licet concendendum sit, artificiosus excogitata et prolata esse neque errore prorsus imonunia esse videri, cum auctor Chronici qui dimidiam eamque

1) Apud. Diog. legitur: γέγονε δὲ ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἕκτην ὀλυμπιάδα. Παμφίλη δέ φησι κατὰ τὴν ἕκτην καὶ πρῶτον ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου, ὥς φησι Σωσικράτης (ubi priore loco πέμπτην, posteriore ἕκτην scribendum). Quamquam enim Diogenes solam olympiadem nominans primum plerumque annum intellegit, tamen antiquior, quem hic laudat, auctor Sosicrates et alterum sive tertium sive quartum animum significasse potest.

recentiorem operis partem a. 264, dimidiam eamque antiquiorem a. 263 scripsisse putandus est, usquequaque ex eadem ratione computasse censendus sit, ut annum, quo scripsit, non adderet, tamen Doppii ratio, qua ad diversos annos singulae Chronici epochae exactae sunt, Boeckhii calculis praeferenda est. Quamvis enim fieri potuerit, ut auctor, qui ex multifariis fontibus opus suum confecit, nonnunquam in addendis vel subtrahendis annis a vero aberraret [1]), quamquam archontis nomen recte adscripsit, tamen eum in altera operis parte annum quo scripsit addidisse, in altera sine idonea causa omisisse vix probabile videtur esse.

Quodsi Diogneti archontis annus ex priore quidem sed posterius exarata Chronici parte conficiendus videtur esse, 263/2 = ol. 129, 2 fuit [2]). Supplendae igitur sunt lacunae

---

1) Itaque, si ep. 77 — id quod equidem credo — Alexandri Magni natales expositi erant ad annum 91, hic quoque fortasse erratum latet, cum anno 92 (= 356; cf. Clinton fast. Hell. 134 Kr.) potius dicendum fuerit, quamquam archontis ann. 91 nomen ex recta ratione adscripsit. Memoratu autem dignum est, in hac extrema lapidis parte nobis servata tam multa et intricata et aperte vitiosa inveniri, ut nihil inde colligere possimus. Ceterum nemini, opinor, Dopp l. c. 61 persuadebit, auctorem Parium propter verba in initio posita ἀνέγραψα seq., postquam opus suum confecerit, prooemium addidisse. Fugit enim virum doctissimum, auctorem Chronici, priusquam in lapidem sculpendum opusculum suum curavit, non potuisse non totum Chronicon, ne multi errores irreperent, in charta vel papyro describere, unde prooemio demum praeposito in lapidem transtulerit.

2) Idem pro certo jam antea affirmavit v. Wilamowitz-Möllendorff, Antigonos von Karystos 110 et 251 seq., postquam Rohde, Mus. Rhen. XXXIII, 622 et Gomperz ib. XXXIV, 154 annum quo Zeno Citieus defunctus est, 264/3 archonte Arrhenide (cf. Diog. Laert. VII, 10) sagaciter exploraverunt. Consentit etiam Susemihl, Annal. Phil. 1882, 744 not. A. de Gutschmid tamen haec mihi scribit: „Ol. 129, 1, cui Eusebii Chronicon Latinum Zenonis mortem assignat, non genuinae Olympiadis nota est, quemadmodum Rohdius reliquique, qui ab eo pendent, opinati sunt, sed Pseudolympiadis Hieronymianae, nec annus 1753 Abrahami, qui ei respondet, annus est Olympiadicus 264/3, sed 263/2. Expressum vero ejusmodi testimonium magis apud me valet quam virorum doctorum calculi quantumvis speciosi, quorum elementa utrum annum vertentem excludant an includant, satis certe sciri nequit; ut hoc si factum est, ratio constabit, etiamsi intervallum 32 annorum inter mortem Zenonis et Cleanthis recte restitutum est. Jam si annus 263/2 est Arrhenidis, Diogneto



ex Parii sententia ad ep. 42 an. 279, ad ep. 44 an. 257, ad ep. 46 an. 245, ad ep. 49 an. 226 [1]), ad ep. 54 an. 214, ad ep. 60 an. 175 (leg. 179) ad ep. 61 an. 157.

Restat denique, ut addam, rationem marmoris Parii rerum tempora ab ultimis temporibus ad suam ipsius aetatem computandi etiam comparere in Chronico Romano a. 16 p. Chr. composito, quod Henzenius Mus. Rhen. IX, 293 edidit et supplevit, quapropter illud quoque in appendice hujus libelli edidi [2]).

---

relinquitur 264/3. Itaque marmoris auctor in priore chronici parte annum, in quem desinit, includit, in posteriore excludit: ea vero inconstantia tritissima est et Velleji exemplo commode defenditur. Quae si in chronographo merito improbatur, tolerabilior tamen est, quam supina illa socordia, qua, si Doppii explicationem sequimur, absolvi non poterit."

1) In hac erravit Dopp, quia in lapide est ΔΙΠ, ut corrigi nequeat.

2) Praeter hos etiam Vellejus Paterculus hanc computandi rationem secutus est, cum numeros ab anno 30 p. Chr. Vinicio consule, quo historiam suam composuit, descripsisse constet: cf. I, 8, 2; I, 12, 6; II, 7, 5; II, 49, 1; II, 65, 2; Teuffel-Schwabe, Röm. Litg. 278, 3; Joseph Klein, Fasti consulares 27. Quare cum etiam inscriptio Henzeniana sub Tiberio orta sit, Tiberii aetate hanc computandi rationem maxime floruisse apparet.

# CHRONICON PARIUM

1 . . . . . ου . . [ἐξ ἀναγραφῶ]ν παν[τοί]ων [περὶ τῶν προγεγενημέ]νων ἀνέγραψα τοὺς ἄν[ωθεν χρό-

2 νους] ἀρξάμ[εν]ος ἀπὸ Κέκροπος τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος Ἀθηνῶν εἵως ἄρχοντος ἐμ Πάρῳ [μὲν]

3 . . . υάνακτος, Ἀθήνησιν δὲ Διογνήτου. **1.** ἀφ' οὗ Κέκροψ Ἀθηνῶν ἐβασίλευσε καὶ ἡ χώρα Κεκροπία ἐκλήθη, τὸ πρότερον καλου-

4 μένη Ἀκτικὴ ἀπὸ Ἀκταίου τοῦ αὐτόχθονος, ἔτη ΧΗΗΗΔ|ΠΙΙΙ. **2.** ἀφ' οὗ Δευκαλίων παρὰ τὸν Παρνασσὸν ἐν Λυκωρείᾳ ἐβασίλευσε, [βα]σιλε[ύ-

5 ο]ντος Ἀθηνῶν Κέκροπος, ἔτη ΧΗΗΗΔ. **3.** ἀφ' οὗ δίκη Ἀθήνησι [ἐγέ]νετο Ἄρει καὶ Ποσειδῶνι ὑπὲρ Ἁλιρροθίου τοῦ Ποσειδῶνος, καὶ ὁ τόπος ἐκλήθη

6 Ἄρειος πάγος, ἔτη ΧΗΗ|𐅄|Δ|ΠΙΙΙ, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Κρ[ανα]οῦ. **4.** ἀφ' οὗ κατακλυσμὸς ἐπὶ Δευκαλίωνος ἐγένετο, καὶ Δευκαλίων τοὺς

7 ὄμβρους ἔφυγεν ἐγ Λυκωρείας εἰς Ἀθήνας πρὸ[ς Κραναὸ]όν, καὶ τοῦ Διὸ[ς το]ῦ Ὀ[μβρίου Ἀπη]μ[ί]ου τὸ ἱρὸν ἱδ[ρύσατ]ο [καὶ] τὰ σωτήρια ἔθυσεν,

8 [ἔ]τη ΧΗΗ|𐅄|Δ|Π, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος. **5.** ἀ[φ' οὗ Ἀμφι]κτύων Δευκαλίωνος ἐβασίλευσεν ἐν Θερμοπύλαις καὶ συνῆγε

---

1 [ἐξ ἀναγραφῶ]ν παν[τοί]ων recte Boeckhius coll. Eusebii loco χρόνων ἀναγραφὰς συνελεξάμην παντοίας; [περὶ τῶν προγεγενημέ]νων idem, quod septem litteris lacunae spatium excedit, itaque [περὶ τῶν πεπραγμέ]νων vel ἱστορημένων vel tale quid conjicias; τοὺς ἄν[ωθεν χρόνους] ἀρξάμ[εν]ος Seldenus.

2 [μὲν] scripsit Boeckhius.

3 Archontem Parium Astyanacta Seldenus vocaverat; sed incertum utrum Ἀστ]υάναξ an Πολ]υάναξ an Εὐρ]υάναξ nomen fuerit; Diognetus archon erat ol. 129, 2 = 263 a. Ch.

4 de nomine Ἀκτική vel Ἀκταία vel Ἀκτή cf. Strabo IX, 397, et 391; Pausan. I, 2, 6; Hesych. v. Ἀκταία; Euseb. Praep. Ev. X, 9, 11; Tatian. advers. Gr. 150 c. Otto. — 1318 anni efficiunt a. 1581 a. Chr., quod recedit a ratione Hellanici, Philochori (cf. Philoch. fr. 8), Castoris al., qui Ogygem ad



| Annus Marmoris. | Ante Christ. nat. | Magistratus Atticus. | Eusebius. | Ann. Abr. |
|---|---|---|---|---|
| 1318 | 1582/1581 | Cecropis regis an. 1 | Κέκροψ ὁ διφυὴς Ἀκτῆς, νῦν δὲ Ἀττικῆς ἐβασίλευσεν ἔτη ν'. | 460 |
| | | | ἀπ' αὐτοῦ δὲ Κεκροπία ἡ χώρα ἐκλήθη. οὗτος πρῶτος βοῦν ἐθυσίασε καὶ Ζῆνα προσηγόρευεν, ὥς τινες. | 475 |
| 1310 | 1574/1573 | Cecropis an. 9 | Δευκαλίων βασιλεύειν τῶν κατὰ Παρνασσὸν ἤρξατο. | 477 |
| 1268 | 1532/1531 | Cranai an. 1 | Ἄρειος πάγος ἐκλήθη καὶ δικαστήριον κατέστη. | 506 |
| 1265 | 1529/1528 | Cranai an. 4 | κατὰ τοῦτον τὸν Κραναὸν ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐν Θεσσαλίᾳ. | 477 |
| 1258 | 1522/1521 | Amphictyonis an. 2 | | |

---

a. 1795, Cecropem ad a. 1606 referunt, cum Eusebius Cecropem ad a. 1556 (460 Abr.) adscripserit. Ceterum cf. Rohde, Mus. Rhen. XXXVI, 429 not.

5—6 de re cf. Pausan. I, 21 et 28; Apollod. III, 14, 2.

6 Hellan. fr. 69, 82; Philoch. fr. 16 (ex. Steph. Byz. v. Ἄρειος πάγος) al.

7 de Lycorea cf. Pausan. X, 6, 2, Strabo IX, 418 et 423, Steph. Byz. s. v. — πρὸ[ς Κραναόν] Prideaux, πρό[τερον] Palmerius, Διὸ[ς το]ῦ Ὀμ[βρίου Ἀπη]μίου eleganter Boeckhius coll. Paus. I, 32, 2, quod si rectum est, lacunam a Seldeno notatam angustiorem esse apparet. Ex Pausan. I, 18, 7 seq. conieceris, autorem nostrum putasse, Olympieum primum Ὀμβρίῳ Ἀπημίῳ dedicatum fuisse. — Διο]ς Φυξίου καὶ Ὀλυ]μ[πί]ου Prideaux, sed Jovi Phyxio Deucalionem sacra fecisse in Parnasso narrat Apollod. I, 7, 2.

†9 [δήμ]ους περὶ τὸν ὅρον οἰκοῦντας καὶ ὠ[νό]μασεν Ἀμφικτύονας καὶ Π[υλαία]ν, οὗ[περ] καὶ νῦν ἔτι θύουσιν Ἀμφικτύονες,

10 [ἔ]τη ΧΗΗ𐅄𐅃ΙΙΙ, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος. **6.** ἀφ' οὗ Ἕλλην ὁ Δευ[καλίωνος Φθι]ώτιδος ἐβασίλευσε, καὶ Ἕλληνες

11 [ὠ]νομάσθησαν, τὸ πρότερον Γραικοὶ καλούμενοι, καὶ τὸν ἀγῶνα Παν[ελλήν]ι[α ἔθεσαν, ἔτη] ΧΗΗ𐅄𐅃ΙΙ, βασιλεύοντος

†12 Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος. **7.** ἀφ' οὗ Κάδμος ὁ Ἀγήνορος εἰς Θήβας ἀφίκετο [τῆς Βοιωτίας, καὶ] ἔκτισεν τὴν Καδμεί-

13 αν, ἔτη ΧΗΗ𐅄𐅃, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος. **8.** ἀφ' οὗ [Εὐρώτας καὶ Λακεδαίμων Λακω]νικῆς ἐβασίλευσαν,

†14 ἔτη ΧΗΗ𐅄ΙΙ, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἀμφικτύονος. **9.** ἀφ' οὗ ναῦ[ς μετὰ τῶν πεντ]ή[κοντα Δαναΐ]δων ἐξ Αἰγύπτου

†15 [ε]ἰς τὴν Ἑλλάδα ἔπλευσε, καὶ ὠνομάσθη πεντηκόντορος, καὶ αἱ Δαναοῦ θυγατέρες, . . . [καὶ Ἀμυμ]ώνη καὶ Β[εβρύ-

†16 κη κ]α[ὶ Ἡ]ρὼ παὶ Ἑλίκη καὶ Ἀρχεδίκη ἀποκληρωθεῖσαι ὑπὸ τῶν λοιπῶν [ἄγαλμα ἱδρύσ]αντ[ο Ἀθηνᾶς]

---

9 τ]οὺς et ὠ[νό]μασεν Seldenus, [λα]οὺς Prideaux, [δήμ]ους ipse revocari propter trium litterarum spatium; Πυλαία]ν οὗ[περ] Palmerius, quode cf. Strabo IX, 420; Suidas v. πυλαγόραι. De Amphictyone cf. Apollod. I, 7, 2; III, 14, 5; de Amphictyonis in Thermopylis regno Pausan. X, 8.

10 de Hellene cf. Thuc. I, 3; Strabo VIII, 383; IX, 432, 444.

11 de Γραικοῖς v. Aristot. Meteor. I, 14; Apollod. I, 7, 3; Plin. hist. nat. IV, 14, Steph. Byz. v. Γραικός. — Παν[ελλήν]ι[α ἔθεσαν ἔτη] invito lapide corr. Boeckhius, qui cunctanter etiam τὸν ἀγῶνα [τὸ]ν [Ἀθηναίων proposuerat, quod magis arridebat Müllero. Sed Boeckhii lectio ferri nequit, quia in lapide erat ἈΓΩΝΑ |ΠΑΝΑΘ . . ΝΑΙ . .; itaque non dubium, quin vel cum Palmerio Παναθ[ή]ναι[α ἔθεσαν ἔτη], quod etiam Porsono placuit, vel cum Prideauxio Παναθ[η]ναι[κὸν συνεστήσαντο ἔτη] scribendum sit. Quamvis enim Panathenaeorum festum in ep. 10 ab Erichthonio esse institutum narretur, tamen idem ex diversis fontibus bis enarrari poterat, id quod in Eusebii Chronico centies factum esse nemo nescit. Praeterea autem Panhellenia certamina primum ab Aeaco in Aegina insula Jovi Panhellenio instituta feruntur (cf. Pausan. II, 30, 4; I, 44, 13), cui multo post etiam Hadrianus imperator sacra fecit (cf. Dio Cass. 69, 16).

12 [κατὰ χρησμὸν] priores editores Palmerio obsecuti suppleverant, [ἐκ Φοινίκης καὶ] Boeckhius coll. vers. 14 ἐξ Αἰγύπτου; sed cum illo loco rectius legatur ἐξ Αἰγύπτου εἰς τὴν Ἑλλάδα, hoc loco verba εἰς Θήβας ἀφίκετο



| Annus Marmoris. | Ante Christ. nat. | Magistratus Atticus. | Eusebius. | Ann. Abr. |
|---|---|---|---|---|
| 1257 | 1521 / 1520 | Amphictyonis an. 3 | ἀπὸ δὲ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος Ἕλληνες οἱ Γραικοὶ καλοῦνται. | 481 |
| 1255 | 1519 / 1518 | Amphictyonis an. 5 | Κάδμος Θηβαίων ἐβασίλευσεν | 587 |
| 1252 | 1516 / 1515 | Amphictyonis an. 8 | | |
| 1247 | 1511 / 1510 | *Erichthonii* an. 3 | | |

antecedant, dubitari potest, num recte lacuna suppleta sit. An [τῆς Βοιωτίας καὶ]; cf. Apollod. III, 9, 1 ἡ δὲ διεξιοῦσα Βοιωτίαν ἐκλίθη, πόλις ἔνθα νῦν εἰσι Θῆβαι.

13 [Ἀγηνορίδαι Φοι]νίκης perperam Palmerius, [Εὐρώτας καὶ Λακεδαίμων Λακω]νικῆς Lydiatus, quod recepit Boeckhius, sed cum Pausan. III, 1, 2 (cf. etiam Apollod. III, 1, 2) tradat, Eurotam, cum filii ei non essent, regnum tradidisse Lacedaemoni genero, qui Eurotae filiam Spartam in matrimonium duxerat, Boeckhii supplementum dubium esse patet. A nullo enim utrumque simul imperasse traditum est. Attamen absonum fuerit, si quis suppleat [Μύλης καὶ Πολυκάων Λακω]νικῆς coll. Pausan. III, 1, 1 et IV, 1, 1, quippe qui fratres fuerint, ita ut Messenia, cuius regno Polycaon potitus erat, ad Laconiam referretur. Perperam Müllerus Λακεδαίμων τοῦ Διὸς, cum in fine lineolae ἐβασίλευσαν legatur.

14 ναῦ[ς solum explevit Seldenus; ναῦ[ς πεντ]ή[κοντα κωπ]ῶν Chandlerus haud inepte, quamvis fortasse Danai vel Danaidum nomina aliquis desideret; ναῦ[ς μετὰ Δαναοῦ καὶ τῶν πεντ]ή[κοντα Δαναΐδ]ων Boeckhius coll. Apollod. II, 1, 4; Eustath. Il. 37, 25; Hygin. fab. 170 Sch.; quod spatium decem litterarum, quod Seldenus indicaverat, longe excedit. Rectius igitur ναῦ[ς μετὰ τῶν πεντ]ή[κοντα Δαναΐδ[ων suppleas, quamquam ne Danaidum quidem nomen necessarium, quia infra repetitur.

15 [Ἀμυμ]ώνη, quod etiam priores editores correxerunt, non extra dubitationem positum est: cogitari enim etiam de Δαμ]ώνη et Φικομ]ώνη posse monuit Boeckhius; Β[ρύκη] et Ηρ[ώ supplevit Boeckhius; Β[εβρύκη mavult Gutschmid coll. Steph. Byz. v. Βεβρύκων et Eustath. Dion. Perieg. 805.

16 Archedice Danais neque ex Apollodoro neque aliunde nota; apud Apollod. II, 1, 5 sunt Eurydice, Hippodice, Callidice, apud Hyginum Autodice et Daplidice (Callidice Burs.), quod nomen corruptum esse patet. — ἱδρύσ]αντ[ο Λινδίας Ἀθηνᾶς ἄγαλμα vel Λινδίαν Ἀθηνᾶν Palmerius, ἱερὸν ἱδρύσ]αντ[ο] Prideaux,

17 καὶ ἔθυσαν ἐπὶ τῆς ἀκτῆς ἐμ παρά[πλῳ] ἐν Λίνδῳ τῆς Ῥοδίας, ἔτη ΧΗΗΔΔΔΔ𐅃ΙΙ, βασιλεύο[ντος Ἀθηνῶν Ἐριχθονίου. **10.** ἀφ' οὗ Ἐριχ]-

18 θόνιος Παναθηναίοις τοῖς πρώτοις γενομένοις ἅρμα ἔζευξε καὶ τὸν ἀγῶνα ἐδείκνυε, καὶ Ἀθηναίους [ὠν]ό[μασε, κ]αὶ [βρέτας

19 θ]εῶν μητρὸς ἐφάνη ἐγ Κυβέλοις, καὶ Ὕαγνις ὁ Φρὺξ αὐλοὺς πρῶτος ηὗρεν ἐγ Κ[ελ]α[ι]ναῖ[ς πόλει τῆ]ς Φρ[υγίας, καὶ ἁρμονίαν τὴν καλ]-

20 ουμένην Φρυγιστὶ πρῶτος ηὔλησε καὶ ἄλλους νόμους Μητρός, Διονύσου, Πανὸς καὶ τὸν ἐπ[ιτυμβίδιον ν-

21 όμον], ἔτη ΧΗΗΔΔΔΔΙΙ, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Ἐριχθονίου τοῦ τὸ ἅρμα ζεύξαντος. **11.** ἀφ' οὗ Μίνως [ὁ] πρ[ότερος ἐ]βα[σίλευσε Κρήτης

†22 καὶ Ἀπολλω]νίαν ᾤκισε, καὶ σίδηρος ηὑρέθη ἐν τῇ Ἴδῃ, εὑρόν-

---

quod recepit Boeckhius nisi quod in fine versus addidit Ἀθηνᾶς, [βρέτας ἱδρύσ]αντ[ο Heyne ad Apollod. II, 1, 4 (p. 266); sed cum in lapide ante ANT lacuna quattuordecim litterarum appareat, ne Boeckhii quidem lectio verisimilis est; itaque rectius suppleas vel [ἄγαλμα ἱδρύσ]αντ[ο Ἀθηνᾶς] (ex Apollod. l. c.) vel [Ἀθηνᾶς ἱρὸν ἱδρύσ]αντ[ο. De re cf. Herod. II, 182; Strabo XIV, 655.

17 Hoc quoque loco res impeditior est, cum Seldenus ΕΜ𐅃ΑΡΑ . . ΑΔΙ ex lapide notaverit, unde aut παραραδι aut παραγαδι aliquis eliciat. ἐν παρ[αλίᾳ πεδι]άδι Heyne ad Apollod. l. c. ἐμ παρ[άπλῳ Boeckhius, ut ΓΑΔΙ fuerit 𐅃ΛΩΙ; ἐν Θερμύδρῳ Müllerus coll. Apollod. II, 5, 8, Boeckhii lectionem injuria impugnans. De re cf. Strabo XIV, 655 et Diod. V, 58, quorum hic ex eodem fonte, quo Marmoris auctor, hausisse videtur. Infra Ἐριχθονίου dederunt Palmerius et Lydiatus.

